

49. Ait divina Sponsa: Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Cant. 1. n. 1. Tantum Dei labia felix anima cupit attingere, agnoscens Dei ubera esse omnium donorum unguentis pretiosiora; cur non postulat ipsa Dei ubera totis, & tantis donis redundantia, cur solum labia desiderat, & tantum, ut illa attingat? Agnoscebat bona Dei amatrix, quod si aliquid Dei, etiam levissimum illius carnis tactum habeat, statim Deum ipsum, tota cum plenitudine donorum accipiet. D. Ambr. lib. de Isaac, & anima cap. 3. ait: Illa osculum posuit, Deus verbum se ei totum infundit, & nudavit ei ubera sua. Illa aliquid de Deo postulat; quo obtento, licet tantillum sit, statim totum Deum habebit: Deus verbum se ei totum infundit, & nudavit ei ubera, ut de illis bibat, & inebrietur.

QUAESTIO VIII.

Quare potius Ierosolymis, quam alius locus, designantur à Christo D. ad adventum Spiritus sancti.

50. Textus: praecepit Christus suis discipulis ab Ierosolymis ne discederent, sed ibi expectarent adventum Spiritus S. cur haec civitas praer quocumque alio loco ad tantum adventum eligitur? Prima ratio: quia sic erat praedictum in Prophetis Isa. 2. n. 3. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierosolyma. Spiritu S. adveniente Apostoli ipso repleti statim ceperunt praedicare legem Evangelicam in Ierosolyma, & in toto Orbe.

51. Secundò. Ierosolyma erat caput totius regni; ex illaque dimanabant leges in ceteras regni partes tanquam in sua membra, inde conveniens fuit, ut Apostoli Spiritu Sancto afflati inciperent ibi praedicationem Evangelicam, quae divulganda erat per totum Orbem, & cum Ierosolyma esset praecleara Civitas caput totius regni, ad illam confluebant omnes gentes, quae sub caelo sunt. Inde divina Providentia factum est, ut essent testes ipsius praedicationis Evangelicae, illiusque magni miraculi, quod praedicantibus Apostolis in Hebraeo audiebat eos uniusquisque lingua sua loquentes magnalia Dei.

52. Tertio. In Ierosolyma vaticinati sunt frequenter Prophetae, ad illamque dirigebant suum sermonem, in ea Christus D. docuit, elegit Apostolos, eosque misit praedicare, suamque Ecclesiam fundavit, ac instituit; inde conveniens fuit, ut ibi adveniret D. Spiritus Apostolos illuminans in Christi doctrina, vaticiniis Prophetarum, ac praedicatione Evangelica, ad quam ipse Spiritus eos erat docturus per totum Orbem, ipsamque Ecclesiam in toto mundo firmavit, ac corroboravit.

53. Quarto. Ierosolyma interpretatur. Visio pacis, inde ibi advenit Spiritus sanctus, quia ipso adveniente pax Christiana videnda, & agnoscenda foret, in toto Orbe, quem Rex noster Christus Jesus Princeps pacis attulit toto mundo, faciens miraque unum.

54. Quintò. D. Leo serm. de Pass. notat, quod Bethlem locus parvulus eligitur ad nativitatem, Ierosolyma, Civitas magna ad passionem; nam gloriam suam qua radiavit in praesepio voluit abscondere, ignominias passionis maxime publicare, & manifestare, inde alto consilio Aeterni Patris mittitur D. Spiritus in Ierosolyma, ut ingentem gloriam ac celebritudinem Christi D. declaret, ac manifestet; ait Christus D. Joan. 14. n. 26. Paraclitum autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo. Illud in nomine meo. Glossa in laude mea, ubi praecessit ignominia, ibi Spiritus divinus in laude Christi.

55. Sextò. Ierosolyma civitas erat valde celebris in mundo sua magnitudine, & amplitudine, civium multitudine, ac frequentia omnium nationum, admirabili templi structura, aedificiorum innumerabili multitudine, turrium altitudine, murorum latitudine, magnaue divitiarum opulentia; in hac ergo civitate descendit Spiritus sanctus, quo repleti sacri Apostoli omnia ista temporalia contempnunt, omnesque eorum Principes, ac Magistratus parvi pendunt, magnoque animi robore resistunt, cum eam divina, ac caelestia apparent, statim omnia terrena disparent, ac pro nihilo habentur; dicitur Psal. 36. n. 35. Vide impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat. Quo transivit David, ut tam cito, tot amplitudines, ad nihilum redigerentur? transivit mente ad contemplandam Dei gloriam, & ut mente etiam à longè illam praecipit, omnia mundialia, & si magna videantur, statim evanescent, ac si nihil essent, habentur. Cretenf. Elias Cretenf. orat. 3. Nazianz. sic ait: Quid illud est, quod transiit iustus, ut ista cesset elatio? cum videmus extolli impios, & in nimiam superbiam crescere, transierunt, & nos mente, & intellectu ab iis, quae videntur, & temporalia sunt, & transferamus intellectum nostrum ad aeterna, & tunc omnis mundialis altitudo corruit tanquam in nihilum.

57. Septimò. Valde mirum est, quod parvulus grex Christi cogatur ab Ierosolymis non discedere, ubi tanta rabies Iudaeorum erat in eos. Cur Domine non magis times gregi tuo in Ierosolyma? Non ne ibi flagellatus, ac crucifixus fuisti? Ea tamen erat Christi gloria, ac potentia, quod in loco adeo sibi infenso, ibi sui nominis vexillum triumphale erigeret, & inimicorum tyrannidem sopiret. Theophylact. hic, & ait: Apud illos ipsos, qui eadem fecerant, qui crucifixaverant, qui sepeliverant, in ipsa urbe, in qua nefarium facinus commiserunt ausi fuerunt argumenta, ac signa proferunt, qua non poterant refelli. Valde gloriosum est Deo in loco hostili, in quo tor acceperat injurias, splendendam suam virtutem magno trophaeo ostentare.

58. Plagam magnam minatur Deus Israel ob suam idolatriam per Jerem. 19. n. 15. Sic conteram populum istum, & civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari, & in Topheth sepelientur. Maxime notandum signate dici, quod in Topheth altaria erigebant idolis Israelitae; ibi Dei potestatem contemnebant, ibi Moloch sacrificabant filios suos, inde ut rectè ponderat M. Didacus de Baëza lib. 18. de Christo figurato §. 32. Non timeret sibi Deus à loco tam infenso, sed eo ipso invadet hostes suos, quibus occisis, gloriosum erigit sibi insigne triumphi.

59. De Christo D. ait Regius Vates, Psal. 67. n. 5. Qui ascendit super occasum Dominus nomen illi. In occasu potius est descensus, quam ascensus, quis ergo potuit per occasum ascendere? nisi solus Dominus Jesus, quia per occasum, ac defectionem quam sibi inimici intulerunt; inde magis suas glorias ostentavit, suum nomen exaltavit, ac suae divinae virtutis trophaea erexit; sic Beda ad cap. 5. Beda.

Luca: Super occasum quippe Dominus ascendit, quia ubi in passione occubuit, inde majorem sui gloriam resurgendo manifestavit. * * *

Temporalia disparent Des gloria apparente.

De gloria ibi de hostibus triumphat, ubi injurias accepit. Theophyl.

Ubi Dei offensam ibi ejus victoria.

Ex morte Christi major victoria splendor.

QUAESTIO IX.

Quare dicitur Spiritus dicitur promissus à Patre, non verò ab ipsomet Christo Domino?

60. Ait, praecipit suis discipulis, ut expectarent promissionem Patris, & statim quaeritur ubi Pater hoc promissit, Euthymius, Theophylactus, ad caput ultimum Lucæ docent hanc promissionem factam fuisse à Patre in Scriptura Isa. 44. n. 3. Effundam spiritum meum super semen tuum. Joël. 2. n. 28. Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetae filii vestri, & filia vestra, ut exponit D. Petrus Actor. 2. num. 28.

61. Secundò. Quamvis ipse divinus Spiritus, à Patre, & Filio ejus Jesu Christo sit promissus, ut ipse ait: Cum autem venerit Pater, quem ego mitto ad vos, Spiritum veritatis, Joan. 15. n. 26. Tamen Christus D. modestiae causa, vocat eum, non promissionem suam, sed Patris, sicut apud Joann. 14. n. 16. vocat eum non donum suum, sed Patris; ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis; & iterum n. 26. Paraclitum autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo. Pater enim est primus fons, ac origo totius Trinitatis; ab eo enim habet filius suam communicatam divinitatem, & consequenter vim spirandi, ut scilicet cum Patre spiret, & producat Spiritum sanctum. Deinde Christus D. omnia sua semper ad Patrem refert; ut constat ex Joan. 14. 15. 16. 17.

62. Tertio. Oecumenius sic fatur in praesenti. Expectarent promissionem Patris, & ubi Pater promissit? dicimus ergo quod per defectum oportet hoc dictum intelligi, ut subaudiatur propositio, sique sensus; expectarent à Patre promissionem. O magna spei vires! Idemque est, expectare promissionem Patris, ac à Patre promissionem expectare. Qui expectat Patris promissionem, non promissionem ipsam, sed rem promissam expectare putatur; qui autem à Patre promissionem expectat, non tam rem ipsam promissam, quam promissionem expectare censetur, nam tanta animositate fertur spes ad obtinendam rem promissam à Patre, ac ad impetrandam promissionem à Patre, ac si ipsa promissio idem valeat, ac res jam obtenta & possessa; tanta spes fiducia divinae beneficentiae animatur, ut idem reputet assequi gratiam promissam, ac illius promissionem, & petere promissionem Patris, sique sensus, expectare à Patre promissionem.

63. Apoc. 4. n. 4. ostenditur Joann. thronus Dei, in cujus circuitu erant viginti quatuor seniores, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus corona aurea. Per hos seniores denotantur Sancti, qui in hoc mundo, indefesse adstant Deo, servientes inter multa certamina, ac adversa; illud tamen maxime ponderandum, quod corona non datur, nisi post finitum certamen, ac hujus vitae militiam; quomodo ergo illi, qui adhuc militabant, jam coronantur. Richard. Victor. lib. 2. in Apoc. p. 2. cap. 1. ait: In capitibus habent coronas, in mundo sperando, in caelo possidendo gloriam. Et si Sancti in patria erant habituri coronas, cum illas à Deo sperarent jam in hac vita, quasi in capitibus positas habebant.

64. Ait Apostolus ad Rom. 12. n. 12. Sollicitudine non pigri: Spiritu ferventes: Domino servientes: spe gaudentes: in tribulatione patientes: orationi instantes. Videbat Apostolus suos discipulos undique inimicorum exercitu circumdatos, tribulationibus, carceribus, flagellis oppressos, his admonet, ut sint patientes, spiritu ferventes, domino servientes, orationi

instantes, spe gaudentes; inter tot, ac tantas tribulationes poterunt habere gaudium; nam gaudium tranfactis laboribus advenit, quomodo ergo habebunt gaudium? maxime in spe; gaudium enim caelestis patriae jam in hac vita gustatur, & de illo participatur.

QUAESTIO X.

Quare Christus hic promittit suis Apostolis baptizandos esse ab Spiritu sancto?

65. Multi Auctores multa hic congerunt circa baptismum: hodie communis sententia tenet, Baptismum institutum fuisse à Christo D. ante suam mortem, Matth. 3. n. 13. Joan. 3. n. 3. Ut docent communiter Doctores cum D. Thom. 3. p. q. 66 art. 2. Post resurrectionem verò ab ipso Domino magis est explicatus, ac declaratus, praecipiens gentes baptizari in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Matth. ult. mo. Postea verò in die Pentecostes à D. Petro Actor. 2. n. 38. est promulgatus, ut necessarius ad remissionem peccatorum.

66. Evodius primus post Petrum Episcopus Antiochenus in Epistola, cujus titulus est Lux, docet Christum D. baptizavisse D. Petrum, Andream, ac filios Zebedaei & hi baptizaverunt alios Apostolos, ut etiam tenent Clemens Alexandrinus, D. August. D. Greg. & quod Christus baptizaverit Joannem baptizantem, affirment Clemens Romanus, Nazianz. Chromat. D. Hieron. D. Thomas, noster Beauxan; & idem dicunt de Beata Virg. Euthym. Albertus, Turrecremata, Lindan. Canis. Nicephor. Bellarm. omnes illi apud Lorin. in praesenti; nec obstat, quod Ioan. dicat 4. n. 2. Iesum non baptizavisse; hoc est vulgare, & communiter, nam hoc faciebat per discipulos suos.

67. Quod maxime inquirendum est in praesenti, cur infusio Spiritus sancti dicitur baptismus? ad quod respondet primo D. Cyril. Hieron. Catechesi 17. & ait: ut enim is, qui aqua mergitur, & baptizatur, undique ab aquis circumdatur, sic & illi à Spiritu baptizati sunt perfecti. Qui baptizatur, mergitur in aquis, & ab illis absorbetur, ac circumdatur; sic supra quem descendit Spiritus sanctus, totus mergitur, absorbetur, & circumdatur ab ipsius donis, ut jam nihil in eo temporale, sed totum spirituale, quod totis viribus quaerit & intendit ille.

68. Secundò, & maxime ad literam, infusio Spiritus sancti dicitur baptismus sumpta metaphora ab ipso baptismo, qui sicut exterius mundat corpus, abstergitque illius maculas, sic multo sublimius Spiritus sanctus adveniens, illuminat, & sanctificat animam, & illam in divino amore incendit, ex quo patet, quanto haec infusio distet à Ioannis baptismo, ut ipsemet dixit, Matth. 3. n. 11. Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus, calcocamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne. Ego, ait, tanquam homo exterius baptizo vos aqua tanquam per dispositionem, ac preparationem ad poenitentiam, ille verò ut fortior, ac potentior me utpote verus Deus, baptizabit in Spiritu sancto: suis nempe donis, mundans vos à peccatis, splens animam gratia, ac sanctitate; & igne, vos illuminans, purificans, ac inflammans ad caelestia, & comburens, quidquid est terrenum consumens, ita D. Hier. Chrylost. Euthym. D. Thomas.

69. Clamat Regius Vates Psal. 54. n. 7. Quis dabit mihi pennas sicut columba? Affectabat magno desiderio à carnalibus cupiditatibus, ac laqueis evolari; cur non postulat alas aquilae, quae velocissime sunt inter

Qui aliquid de Deo habet, totum Deum habet.

D. Ambr.

Isai. 2.

51.

Ubi Christi doctrina, ibi advenit Spiritus sanctus.

53.

54.

Christus manifestat ignominias, Pater declarat eius gloriam. Ioan. 14. Gloia.

Conculcare terram a Spiritu Dei. D. Ambros.

inter cetera volatilia. Unde magni milites ut velociores aquilae comparantur, 2. Reg. 2. sed tantum alas columbae desiderat; columba adumbrat divinum Spiritum, a quo solum venit ut carnalia superentur, ac contemnantur. D. Ambros. lib. 1. de Virg. sic monet: Sume igitur alas Virgo, sed Spiritus, ut pervoles vitia, si contingere cupis Christum, expende quas alas cupit fumere, Spiritus nempe, ad hoc, ut pervoles vitia.

70. Isai. 41.

Ait Isaias 42. n. 5. Hac dicit Dominus Deus creans caelos, firmans terram, & quae germinant ex ea, dans flatum populo, qui est super eam, & Spiritum calcantibus eam. In duplici differentia considerantur homines a Propheta, quidam sunt, qui accipiunt contumeliam flatum, id est, animam; alii vero sunt, quibus conceditur, conculcare terrena. Qui vero contumeliam flatum, seu animam, quod omnibus est datum, & sunt de populo, qui ambulant super terram, At vero conculcare illam, non omnibus datur, sed illis, qui Spiritum accipiunt, a quo solum venit terrena despiciere, & carnales concupiscentias expuere. D. Irenaeus lib. 5. cap. 12. post adductum locum Isaias subdit. Assatum communiter omni, qui supra terram est, populo dicens datum; Spiritum autem proprie his, qui conculcant terrenas cupiditates.

Spiritus Dei despicitibus terrenis. D. Iren.

Act. 1. n. 6. Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel. Num. 7. Dixit autem eis: non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate.

VERSIONES.

Syrus. n. 6. Cum autem illi essent congregati, Domine noster.

Arabic. Illi autem accedentes ad eum, &c. Num in hoc tempore restituerunt regnum Israel.

Multi ex Graec. Restituis regnum Israel.

Syrus. n. 7. Nosse tempus, &c. In potestate sui ipsius.

Arabic. Non pertinet ad vos nosse annos, aut tempora, quorum cognitionem posuit Pater.

Oecumen. Nosse temporum opportunitate.

Aethiop. Temporum opportunitates.

Arias. Posuit Pater propria sua auctoritate.

EXPOSITIO III.

71.

Syrus. Arabic. D. Chryf.

Igitur, qui convenerant, non solum Apostoli, sed etiam alij discipuli, coram quibus Christus ascendit; Syrus legit: Cum essent illi congregati tanquam uno ore interrogantes. Arabicus: Illi ergo accedentes. Ut majori vehementia, ac conatu interrogarent: Domine. D. Chrysof. Honorifice compellunt, ut responsum facilius eliciant; maxime observandum, quod ante passionem, discipuli appellabant Christum Magistrum, ut patet passim ex toto Evangelio; nunc vero Dominum dicunt; nam post vitam resurrectionis maiestatem crevit reverentia erga illum. Si in tempore hoc, nempe tuae resurrectionis.

Pro statu crescit reverentia.

72.

Caeetan. Hugo.

Restitues regnum Israel, seu ut alij legunt: Israelis; putabant enim, quod regnum ad Herodem Idumaeum, ac alienigenam & Romanos translatum, erat per Christum restitutum; & cum Apostoli essent adhuc imperfecti, ut notant Caeetan. & Hugo, mysteria Christi plenè non intelligebant, de quibus fuerunt illuminati ab Spiritu sancto, & verba Christi de regno temporali intelligebant, valde mirum quod cum Christus immèdiatè antea dixisset: baptisabimini Spiritu sancto, nempe sua gratia, & sanctitate; Discipuli de regno temporali loquantur, facile unusquisque sermonem, quem audit, retorquet ad ea, quae mente cogitat, illi autem de regno temporali erant solliciti.

runt illuminati ab Spiritu sancto, & verba Christi de regno temporali intelligebant, valde mirum quod cum Christus immèdiatè antea dixisset: baptisabimini Spiritu sancto, nempe sua gratia, & sanctitate; Discipuli de regno temporali loquantur, facile unusquisque sermonem, quem audit, retorquet ad ea, quae mente cogitat, illi autem de regno temporali erant solliciti.

Amor patria vehementi.

73.

D. Chryf.

Non est vestrum. D. Chrysof. repellit curiosam questionem gravi quamvis benigniore responso; eorum insipientiam, non dure & asperè reprehendit, sed paulatim eos disponit ad veram intelligentiam, in qua perfectè erant illuminandi a Spiritu sancto; nosse tempora, temporum, ac rerum eventus, vel momenta; Graecus Vatabl. opportunitates temporum. Deus omnia opportuno, ac convenienti tempore, ac occasione operatur. Vulgata habet: momenta. Momentum, Grammatici deducunt à verbo moveo; & aliquando sumitur pro brevi, & instantaneo motu, aliquando verò pro motu magni ponderis, & utroque modo hinc potest sumi. Quae Pater posuit in sua potestate sapientia, nempe & providentia; & quamvis Christus D. cum suo Patre, & Spiritu sancto omnia ordinet, ac disponat, tamen omnia, ex sua modestia refert ad Patrem, ut jam dixi. Deinde dicit hoc ad Patrem pertinere; & dissimulat etiam esse suum, ut ipsi ulterius non perquirant, ut ex D. Chrysof. dicam infra q. 12.

Græc. Vatabl.

Quid sit momentum.

QUESTIO XI.

Quare Christus D. non dixit non est nostrum, sed non est vestrum nosse tempora?

Cum Christus D. loqueretur cum suis discipulis de die iudicii in ipso non cognoscendo se associat cum hominibus, dicens: De die autem illo, vel hora, nemo scit, neque Angeli in caelo, neque filius hominis, nisi Pater, Marc. 13. n. 32. Matth. 24. n. 42. non sic autem se habet in praesenti, sed in ipsa cognitione, se ab hominibus separat. Unde non dixit non est nostrum sed est vestrum, nosse tempora.

74.

Mar. 13. Math. 24.

Quod præclare notavit D. Basil. Epistol. 141. ubi sic ait: In Evangelis solum Patrem dici, se ipsum adnumeravit ignorantibus, propter multorum, ut dixi, infirmitatem, in Actis verò Apostolorum, tanquam perfectis seorsim disserens, per sui exceptionem dixit non est vestrum scire tempora. Quod etiam observant D. Athanas. orat. 4. contra Ariam, D. Hieron. cap. 24. in Matth. Cum Christus D. esset in vita mortali, in scientia in externa apparentia, ac multis aliis, se accommodat cum hominibus in mortali vita agētib; non verò post resurrectionem, cum jam esset in alio statu, & glorioso. Deinde discipuli ante mortem Christi erant valde impoliti, & imperfecti, non sic jam verò post resurrectionem, tunc enim aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, Luc. 24. n. 45. Inde Christus D. pro ratione sui status, ac conditione discipulorum, diverso modo loquitur cum eis, antea, ac post resurrectionem; D. Athanas. citatus. Neque per id tempus dixit, neque filium quid scire, quemadmodum antea dixerat. Iam enim caro illius surrexerat, deposuerat mortalitatem, ac deificata esset. non deceit eum carnaliter respondere, utpote in caelum ascendentem.

75.

D. Basil.

D. Atha. D. Hier.

Pro diversitate status diversimodè agendum.

D. Athanas.

76.

Luc. 2. Apoc. 1.

In augustissima nativitate Christi nocte apparet Angelus Pastoribus ait illis: Invenietis infantem pannis involutum positum in praesepio, Luc. 2. n. 12. Aliter se ostentat Christus Joanni in Apocalyp. 1. n. 13. Inter candelabra aurea, vestitum pedere, praecinctum

Proprio statui accomodandum.

D. Fulg.

Matth. 17.

77. Difficultas questionis.

Matth. 13. Mar. 4. Joan. 15.

78.

D. Chryf. Oecum. Beda. Glossa.

Quilibet agat de his quae ad se pertinent. D. Basil. Lyran.

79.

Ioan. 13. Matth. 28. Prudens imperitans quæstum à se rejicit.

praecinctum ad mammillas zona aurea. Vestis illa erat valde magnifica, pomposa, & magna, & sublimis majestatis; Cur, qui tam humilis se exhibuit pectoribus vilibus, & abjectis pannis involutus, quomodo tanto apparatu, ac majestate Joanni apparuit. Unde tanta diversitas, cum venit humilis & pauper in mundum, ad vilitatem, ac parvitatem pannorum se dimittit; cum verò gloriosus in caelo regnat, superam, & altam majestatem ostentat in omni fulgido apparatu, qui antea in paupertate sordidum habitum elegit. D. Fulgentius serm. de Epiphania, ait: Parvulus in praesepio, immensus in caelo, vilis in pannis, pretiosus in stellis, & cum ex alta Dei providentia conveniens fuerit, ut Christus adhuc degenet inter homines ostentaret splendorem suae majestatis in transfiguratione statim praecipit suis Apostolis, ut nemini dicerent visionem illam, donec filius hominis à mortuis resurgat, Matth. 17. n. 9. Tanta enim majestas non conveniebat cum mortalitate, sed cum gloria resurrectionis.

QUESTIO XII.

Quare Christus D. non respondet ad quæsitam Apostolorum, sed tacite eos reprehendit?

Dixerunt Apostoli: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel; quibus ipse ait: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate. Cur ad propositam interrogationem, de regno Israel, non respondet Christus? multo majora secreta cum suis discipulis pertractavit: illis enim dixit: Vobis datum est, nosse mysterium regni Dei; Matth. 13. num. 11. Marc. 4. n. 11. & iterum: Quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis, Ioan. 15. n. 15. Cur ergo hanc restitutionem regni Israel, non eis revelat, sed abscondit?

Respondeo primò, Apostoli hoc in loco erant solliciti de temporali restitutione regni Israel, ut docent Oecumen. D. Chrysof. in praesenti, Beda & Glossa D. Iusti. quæst. 112. D. Irenaeus lib. 5. cap. 34. ideo Christus D. non respondit ad quæsitum; imò eorum curiositatem nimiam tacitè reprehendit, cum ait: Non est vestrum nosse tempora: utpote praetercuentes à vestro proprio negotio, quod erat agere de regno Dei; ipsi autem omitentes proprium negotium ad alienum transibant agentes de regno temporali, quod ad eos non pertinebat. Unde D. Basilus. In regulis moralibus. Regula 9. cap. 2. hoc exemplum apponit, contra tractantes, quæ ad se non attinent. Lyran. hic. Quasi dicit Dominus, non pertinet ad vos, hoc scire, & querere, sed illud, quod sequitur, ad vos pertinet, cum subditur sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos. Non respondet ad regnum temporale, sed eorum mentes elevat ad regnum spirituale, ac virtutem Spiritus sancti, quod erat negotium ad eos pertinens, cætera vero, quæ ad eos non spectabant, omittit.

Secundò, Respondet Christus; & maxime confirmatur superior doctrina. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate. Qualis est hæc excusatio, ut Christus non respondeat ad interrogata discipulorum? Christus Dominus omnia optime sciebat. Omnia dedit ei Pater in manus, Ioan. 13. num. 3. Et data est illi omnis potestas in caelo, & in terra, Matth. 28. n. 19. Cur ergo recurrit ad Patris potestatem in hoc negotio? Christus in praesenti dissimulat suam potestatem, & tantum dicit hoc esse Patris; Ve cum discipuli audiant illud non ad Christum, sed ad Pa-

trem spectare, desistant ab interrogatione, & non ulterius urgeant inquirendo à Christo illud quæsitum, quod D. Chrysof. optima similitudine explicat homil. 2. in Acta, & ait: Quemadmodum, cum videmus infantem plorantem super cupientem aliquid à nobis accipere, quo nihil illi opus est; tunc occultatio quod concupiscit, ostendimus illi manus vacuas, dicentes: ecce non habemus. Item ille fecit Apostolis, &c. Ut videntes quod illud non ad Christum, sed ad Patrem spectaret, ab interrogatione quiescerent; & amplius non requirant.

D. Chryf.

80.

Tertio, Cum discipuli agerent de regno temporali. Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? eorum aviditatem compressit, ut regem notat Mendozza tom. 2. lib. 1. Reg. cap. 3. ad vers. 19. n. 11. dicens: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta. Docens suo exemplo, qui semper loquebatur illis de regno Dei. Luc. 9. n. 11. Ut & sui discipuli, non de regno temporali, sed de regno Dei haberent sermonem, non de rebus temporalibus, sed spiritualibus loquerentur, illi, quibus novum discipulorum statum, novumque spiritum dederat, novos haberent sermones, suumque novum spiritum novis verbis ostenderent, ac declararent; sic de illis, qui divinum Spiritum erant accepturi, dicitur linguis loquentur, Marc. 16. novis, Marc. 16. n. 17. Ut illa nova locutio ex ore manans patefaciat latentem gratiam, ac spiritum in animo latentem. Clemens Alexand. lib. 1. Paedag. cap. 5. Oportet novos esse illorum sermones, qui novi verbi fuerunt participes. S. Bernardus serm. 2. in octava Pasch. ait: Novum supervenisse spiritum; certissime conversatio nova restatur.

Cæverfatio, & sermo ostendit animi causam que.

Cleim. Alex.

D. Bern.

Quartò, Apostoli indebitè, ac inutiliter interrogaverunt: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Inde Dominus non respondet ad quæsitam de regno temporali, sed ad altiora, vertit sermonem: Accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientis in vos. Quæ à Deo inconvenienter petuntur et si petitio ex simplici animo aliquando proveniat; valde utiliter, & appositè negantur, & etiam à Deo ob suam bonitatem, in melius vertuntur.

Negat Christus sua petita, & in melius vertit.

81.

Job 9.

De se ait Job. 9. n. 16. Cum invocarem exaudiverit me, non credo, quod audiverit vocem meam. Repugnantiam videtur in his verbis latere, nam si se auditum dicit, quomodo statim subditam, non auditam fuisse vocem meam; Optimè omnia coherent, cum clamat ex corde, quæ ad profectum conveniunt, tunc se exauditam agnoscit; ac vero cum exterius vocem profert, quæ temporalia, & non proficua sonant, se non auditum fateretur. Vox Patriarchæ ad utilia admittitur, ad inutilia ex misericordia rejicitur, ac repellitur, quod optimè explicat D. Thomas lect. 3. in Job, & ait: Coningit, quod Deus hominem exaudit, non ad votum, sed ad profectum: sicut Medicus non exaudit infirmum ad votum postulante amovere medicinam amaram: exaudit tamen ad profectum, quia per hoc sanietatem inducit, quam maxime infirmus desiderat.

82.

Psal. 21.

In magna David postus tribulatione ac oppressus ait de se: Clamabo per diem, & non exaudiet, Psal. 21. n. 3. Quomodo fieri potest, quod sanctus Rex vexatus magna tribulatione clamans per totum diem non exaudiatur, cum de justo dicatur. Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum, Psal. 35. n. 16. ob proptitudinem, ac velocitatem, quæ suos justos exaudit, ac eis subvenit; ut explicant D. Ambros. D. Hieron. Incogn. Deus, ut me dicat, ad sanietatem non ad votum petunt convenienter voti compotes efficiuntur, cum vero inutilia, utilius, repulsam patiuntur. D. Aug. ad citat. Pl. 2. ait [Multi clamant in tribulatione, & non exaudiuntur; ut intelligat homo, Medicum esse Deum &

B tribula